



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

20. Quomodo accedens ad exercitia viæ illuminatiu[a]e, debet prius esse mundatus à peccatis per viam purgatiuam: vt diuinorum radiorum possit esse capax.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

Benignitas est quidam dulcor animæ exclu-
dens omnem nequitiam scilicet omnem ira-
cundiam, inuidiam, & accidiam, & habilitans a-
nimam ad

- { Beneuolentiam.
- { Tolerantiam.
- { Internam lætitiã.

Et hic est finis & terminus viæ purgatiuæ secun-
dum viam meditationis: nam omnis conscien-
tia munda, læta est & iucunda. His tribus ade-
ptis promptus est animus vt fursum tendat, &
per ista cognoscere poterimus terminum no-
stræ purgationis.

SECUNDA PARS.

*QVOD ACCEDENS AD EXERCITI-
am viæ illuminatiuæ, est prius purgandus & mun-
dandus à suis peccatis per viam purgatiuam,
vt splendores diuinæ lucis
possit capere.*

CAPVT XX.

HACTENVS diximus de viâ purgatiua
per quam purgatur conscientia, quæ fa-
cilis in corde recolligi quam scripto vel
verbo doceri potest, per quam immediate Dei
seruus ad illuminatiuam ascensurus est: quæ ad
illuminandum ordinatur secundum illud Pro-
phetæ de viro iusto loquentis, Beatus vir cuius
est auxilium abs te: ascensiones in corde suo di-
sposuit in valle lachrymarum, in loco quem po-
suit. Vbi est notandum quod per lachrymas &
gemitus

gemitus viæ purgatiuæ mundatur anima à rubigine malorum operum : & hinc immediate assurgit ad illustrationem per diuinæ lucis radios. Et hoc est conueniens ex parte recipientis, prout experientia videmus in materiali speculo : quod si erugine vel aliqua alia re fuerit maculatum, non clare apparet in eo facies in eo speculantis, sicut quando est bene tersum & politum. Anima autem speculo comparatur : quia si se perfecte consideraret, in seipsa cerneret illum cuius imago ipsa est. Cùm enim ab ea abstergitur quicquid in ea obscurum est, confestim eam illustrat ille spiritualis sol splendoribus suæ gratiæ & bonitatis. Et quod plus est, quemadmodum radius huius materialis solis percutit fenestram non retro cedens, sperans quando aperiatur ei, cui si aperitur, totam illuminat domum quæ prius tenebrescebat, sic verus iustitiæ sol cuius similitudinem gerit iste sol materialis, nihil aliud expectat immobiliter nostræ conscientiæ ianuam pulsans, nisi quod ei quoquo modo aperiatur & præstemus ingressum ad feliciter quiescendum in anima nostra & sic anima spiritualiter illuminatur. Unde cum anima nostra diuinis habet irradiari fulgoribus, oportet, vt eis proportionetur & conformetur scilicet vt mundetur prius per viam purgatiuam à tenebris & sordibus peccatorum, vt conformis effecta speculo immaculato illius increatæ lucis radios capere valeat. Et quia iam assignauimus exercitia in quibus post matutinalem synaxim secundum viam purgatiuam debet occupari, quæ ad præfatam animæ purificationem

tionem ordinatur, restat dicendum de exercitiis viae illuminatiuae, ad quae aptius tempus est post completorium, secundum quod dicit Bernardus, quod in hac hora debet religiosus examinare suam conscientiam & pro beneficiis gratias agere.

*QUOMODO AD TRANSEVNDVM AD
viam illuminatiuam exercitator debet suam
conscientiam examinare.*

CAPVT XXI.

E Gressus à completorio non expedit tibi diu extra cellam demorari, aut per signa vel verba dissolui. Vt enim dicit Bernardus, post completorium nõ debet monachus loqui quousq; finita sit missa sequentis diei, nisi sit vrgens caussa. Supradicta igitur hora cellam ingressus flexis genibus vel supra pedes stans, postquam te crucis vexillo armaueris, attrahens spiritum & inuocans Spiritum sanctum, dic sequentem antiphonam: Veni sancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Et sequatur Psalmus, Deus in adiutorium meum intende, totus dicatur. Nesciens antiphonam & Psalmum, dicat ter hunc versum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Post hæc tene tibi diligenter capitulum te examinans de

peccatis, { Negligentiæ.
 { Concupiscentiæ.
 { Nequitia.
ad quæ omnia alia possunt reduci.

f 4

Quian-